


Heinrich Dringenberg

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hinricus Dringenberg/ Phil. Moral. Profess. ... Dn. Alberti von Dassel/ Patricii Luneb. & LL. omnisq[ue] Humanitatis Studiosissimi, Acerbum maxime Funus indicit, & ad eundum Exequias Omnium ordinum Cives Academicos studiose invitat serioq[ue] hortatur : [P. P. Sub Sigillo Rectoratus, die 25. April. Anno ... 1665.]**

Rostochi[i]: Kilius, [1665]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777440407>

Druck Freier  Zugang






Dringenberg, H.,  
in  
A. v. Dassel.

Rost. 1665.

22
















25 April 1665

106.

PROGRAMMA

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HINRICUS Dringenberg

Phil. Moral. Profefs.

NOBILISSIMI ET ERUDITISSIMI,

DN. ALBERTI

von Dassel

Patricii Luneb. & LL. omnisq;

HUMANITATIS STUDIOSSIMI,

Acerbum maximè Funus indicit,

& ad eundum

Exequias

Omnium ordinum CIVES ACADEMICOS

studiosè invitat seriòq;

hortatur.



Rostochl

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.





Um plura alia apud *Simoni-*  
*nidem* maximæ sapientiæ  
reperire est documenta,  
tùm principe loco ista  
stant duo; quod scilicet  
non temerè pronuncian-  
dum de futuris suadeat,  
ut in quæ mortalium ne-  
mo penetrare curatè satis  
fese possit; sed nec dein, si quis hominem for-  
tè videat, quamdiu idem supervicturus sit, de-  
cerni ullâ ratione velit. Enim verò respectan-  
dum ad muscas esse; quæ sicut se moveant ce-  
leriter atq; avolent, ita repentinas quoq; esse  
vices mortalium, leviq; omninò casu, citiusq;  
quàm unquam opineris, permutari. Ista in  
eum sensum *Sapiens*. Quibus profectò nil vel  
excogitari verius præclariusq; poterat. O ita-  
que fallaces eorum spes! qui confidunt annis  
nimium, & quo ab senectute distant longius,  
eò abs mortè quoq; remotiores sese esse arbi-  
tran-



trantur. Quasi verò ea ætatis pars finì tantùm obnoxia sit, nec ipsa adeò nativitas nostra conjuncta esse cum obitu queat. Sanè vix trochum ullum aut turbinem verti velociùs videas, quàm vitam hominis; quæ instar vitri, cùm maximè splendet, frangitur, & tùm præcipuè, quod fuit, ostendit. Tamen plerumq; sic vivimus, has itidem cogitationes maximè capimus homines, quasi duraturi in longum, & morituri vix unquam simus; cùm satis certò polliceri sibi aliquis nec crastinum possit. Quotus est quisq; quem lateat, eximium prorsus, inq; laudem Seculi, ornamentumq; Patriæ pronatum JUVENEM, ALBERTUM DASSELLIUM, paucis diebus antè obiisse strenuè officii studiorumq; partes, ætate florentem, firmum, validum, nec de minimâ corporis imbecillitate (quod nos quidem sciamus) questum; qui nunc in capulo, proh dolor! positus, nil nisi exequias abs nobis & funus expectat. Quod cùm parandum eidem hodiè sit, quantum fieri unquam queat, pro Familiæ, ex quâ satus, virtutumq; quibus instructus abundantissimè fuit, eminentiâ, splendidissimum, nos certè, quæ nostrarum fore partium arbitrâmur, minime negligemus, exposituri, pro more, vitæ JUVENIS historiam, non illo quidem accurato, & quod admorsos un-

AL 132

A 2

gues



gues sapiat (uti par quidam erat) sed isto ex-  
temporaneo tenuiq; dicendi genere, quali gau-  
dere ferè sueverunt, qui majoribus spaciis ad  
meditandum exclusi sunt; quod & nobis in præ-  
sens usu venisse & certum utique, & nil est mi-  
rum. Interim quicquid industriæ fors dece-  
serit, id verò fides undiquaq; supplebit. Ortus  
est Nobilissimo patricioq; Luneburgensium ge-  
nere, natusq; liberâ Imperii civitate, amplissi-  
mâq; REPUB. *Lubeca*, prid. KL. Nov. Anno  
1645. Patre quidem Viro Amplissimo Dn. AL-  
BERTO von *Dassel* / Patricio Luneb. & Sena-  
tore Lubecensi clarissimo, die jam tum suâ fun-  
cto; Matre verò Feminarum lectissimâ præstan-  
tissimâq; CATHARINA *Plonnie* / etiamnum  
superstitante, & ex obitu tam insignis Filii tan-  
tum non mœroribus confectâ. Avus paternus  
fuit Magnificus VIR, Dn. GEORGIUS von  
*Dassel* / Cos. Luneb. cui ab invictissimo Impe-  
ratore FERDINANDO III. profapiæ dignitas,  
generisvè præstantia non solum clementissime  
per peculiare, in eam rem confectum, diplo-  
ma, confirmata, verum etiam ulterioribus privi-  
legiis, ad quamcunq; posteritatem sese exten-  
dentibus, adeò adaucta est, ut insignibus suis  
Coronam Regiam imponendi, rubramq; in  
obsignationibus ceram usurpandi GENS DAS-  
SELIA



**SELIA** indepta posthac potestatem gratiosissi-  
 mè fuerit. Ceterum Avia paterna exitit Fe-  
 minarum decus **CATHARINA Düsterhoffs /**  
**Dn. FRANCISCI Düsterhoffs /** Patricii & Sena-  
 toris Luneb. Filia. Avum Maternum habuit,  
 eximium planè Virum, **Dn. FRIEDERICUM**  
**Plonnies.** Aviam Maternam sexus sui virtuti-  
 bus quàm maximè conspicuam, **ELISABE-**  
**THAM von Stieten.** **Dn. GEORGII von Stie-**  
**ten /** Patricii & Senatoris Lubecensis Filiam.  
 Proavo paterno usus est Amplissimo Viro **Dn.**  
**JOHANNE von Dassel /** Cos. Luneb. Proavia  
 paternâ elegantissimâ **ELISABETHA Töbings /**  
 antiquissimo genere natâ. Proavus maternus  
 fuit Magnificus Vir, **Dn. HINRICUS Plonnies /**  
 Eques & Cos. Lubecensis. Proavia Materna ho-  
 noratissima Femina **METTA Wiebekings /**  
 Clarissimi Viri **Dn. GEORGII von Stieten /** Pa-  
 tricii & Senatoris Lubecensis Vidua. Abavus  
 Paternus exitit **Dn. LUTRE von Dassel /** Cos. Lu-  
 neburgensis gravissimus. Abavia Paterna **Jesche**  
**Stöterrogen /** Patricia Luneb. Deniq; Abavus  
 Maternus audit **Dn. HERMANNUS Plonnies /**  
 de **REPUB.** Lubecensi benemerentissimus Cos.  
 Abavia materna **Elise Graven /** **Dn. Hartig von**  
**Stieten /** Patricii Lubec. Vidua. Deus bone!  
 quæ & quanta Nomina, quibus suam **ALBER-**  
**TUS**



TUS noster debet originem. Quanquam ulterius deduci profapia, & ad 400. extendi usq; annos poterat, si permissura id saltem instituti nostri sit ratio. Ceterum quam sublimis etiam, aut splendida illa sit, tota tamen carnalis, & ad salutem æternam nil collatura momenti est nativitas, sexcentiesq; vel minor vel inferior alterâ illâ, quæ per aquam & Spiritum obtigit, quæq; una verèq; nobilitavit, fecitq; a deo, uti in Filiorum DEI, proh quantum Nobilium! jam dudum numerum cooptaretur, & nunc Coelestium reapse cernere hereditatem idem ALBERTUS quiret. Quo ipso regenerationis divino beneficio potitus, & jam ætate aliquantò provectior, honestissimâ continuò egregiamque maximè mentem, quam melior Natura attribuerat, præ se ferre, idq; studere summoperè visus est, uti, sicut excellentiâ generis, ita virtutum quoq; prærogativâ ceteros prætergrederetur. Enimverò rectissimè secum reputabat, nascendi sortem, generisvè præstantiam cæno pejus collini morum spurcicie, parumq; natalium decus conferre lucis, nisi animus & vita responderint. Undè non immeritò factitatum, uti Filium istum suum spe admodum eximiâ donarent optimi PARENTES, & non modò domesticarum virtutum exemplis ad optima quæq; du-



ducere conarentur, sed & Præceptorum, quos ipsi præfecerunt, operâ atq; industriâ, liberalibus literis, ex quibus universa sapientia, tanquam ex fonte quodam dimanât, quam studiosissimè curarent erudiendum. Quibus quidem jucundissimum præbebat spectaculum, & incomparabilem afferebat voluptatem, quum non segnior videretur in exequendis iis, quæ jusserant, quam ipsi in præcipiendis, quæ fieri volebant. Quæ res uti futuræ frugis certissimum est indicium, ita puerilem ætatem quàm maximè commendat. Haustus perceptivè in Patriâ literis, quibus parari velut animi ad suscipiendam cuiusvis sapientiæ sementem adsolent, huc *Rostochium* in uberiora studia ante annum missus, præcipueq; Pl. Rev. Excellentissimoq; Dn. HENRICO MULLERO, S. S. Th. D. ac Prof. quin Mariano Pastori præclarè merenti, Collegæ ac Amico nostro conjunctissimo, ita commendatus est, uti ejus hospitio mensâq; perfrueretur. Quem quidem Virum Parentis instar coluisse, ipsumq; Filii vicissim loco ab eodem habitum, utique accepimus. Dùm igitur ita apud nos jam viveret, nihil omninò reliquit earum rerum, quæ proposito servire, aut fini, quem in Academiam veniens obtenderat, exequendo ullâ facere ratione viderentur. Præceptores Professoresq; quâ



quã publicè quã privatim disputantes singulari studio atq; industriã audivit. In *Suetonianis* nostris prælectionibus adeo gnavum sese præstitit, uti neminem inter omnes Auditores habuerimus, cujus assiduitatem ardoremq; discendi magis vel laudaremus, vel admiraremur. Quicumq; tandem Studiosorum Lectionibus aberat, certè **DASSELIIUM** nunquam abesse compertum est. Nec minori industriã *Curtium* domi nos nostræ prælegentes auscultavit; sed dedit potius operam, uti quæ ad luculentissimum Auctorem proferremus, avidissimè arriperet, quin vel ipsa ex ore nobis nostro verba extracturus assideret. Dici enim nequit, quanto elegantiorum literarum studio teneretur; quòd verè existimaret, neminem temerè, sine harum adminiculo, ad solidioris quidem eruditionis laudem gloriamq; assurrecturum. Quemque potius, qui rejiciat, aut aspernetur, vel non didicerit, saltem inter semidoctos, & vix, locum obtenturum. Cetero qui Logices etiam cognitionem sibi vel comparavit, vel adauxit eo collegio, quod isthac fini **Vir Eximius, Dn. M. NICOLAUS Schoeff** privatim cum aliis quoq; qui interessent, instituerat. Et quum **JURA** discere sederet sententia, eòq;, tanquam ad ultimum scopum, collimaret, egit cum **Clarissimo & Consultissimo**

Affine



Affine suo, Dñ. JOHANNE - CHRISTIANO  
Beselten/ J. U. D. uti viam sibi eo in studio præ-  
iret, & quæ fundamenti forent loco, monstra-  
re haud gravaretur. Quâ in re adeò deside-  
riis suis non refragantem invenit VIRUM, uti  
utroq; potius pede in ejusdem iret sententiam,  
Si quos præterea publicitùs quoq; ICTOS pro-  
fitentes vel sciret, vel inaudiret, dedit operam,  
uti ad horum non minùs pedes impiger disci-  
pulus sedisse, nec tempus, aut bonas horas su-  
as, turpi ocio desidiâve trivisse ullâ ratione vi-  
deretur. Ceterùm de cupidine discendi, quæ  
in ALBERTO fuerit eximia, deq; cursu stu-  
diorum Academicorum, hæc hæctenus. Quan-  
tum ad vitam & mores attinet, sanè hi jam LU-  
BECÆ (quod supra non obscure monere me-  
minimus) laudatissimi cernebantur; omnium  
autem maximè, quoad nobiscum in Acade-  
miâ esset, sese exerebant tales, uti universæ  
JUVENTUTI nostræ clarissima meritò lux, & vivum,  
quod ipsa quoq; sequeretur, exemplar esse qui-  
ret. Officiosus, humilis supra modum erat  
JUVENIS; Nulli unquam operam suam nega-  
bat; nemine se majorem, quovis inferiorem, tanto  
licet ortum sanguine, tamq; amplis fortunæ bo-  
nis instructum, reputabat. Vile arbitratus ac in-  
glorium facinus, de principatu cum quoquam  
B velle



velle contendere. Candidus ab omni parte,  
sineq; fuco & fraude; nec ullos mortalium im-  
pensiùs perosus, quàm qui

*Ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore volvant.*

Inter animum, linguam, frontem adeò incre-  
dibilis erat Harmonia, uti ne hilum quidem  
hîc, istic, illic, discreparet. Quæ profectò in-  
usitata Seculi nostratis jam virtus est. Quod qua-  
cunq; tandem denominatione insignire adlu-  
buerit, certè omnium commodissimè *Vulpi-*  
*num* appellires. Adeò descitum nunc à pristi-  
nis GENTIS GERMANÆ, DEUS bone, quàm  
veracis & candidæ! moribus, itumq; in o-  
mnia tandem est alia, sic uti nemo hodiè inter  
rerum gnaros, inter *Politicos* (miseret nos *Politi-*  
*ca*) certè nemo locum obtinere valeat, nisi si-  
mulare, mentiri, fallere etiam ad miraculum us-  
que didicerit. Sed ingenia moresq; Seculi alibi  
dabitur deplorandi commodior occasio. Nunc ad  
institutum. Humanitatem aut comitatem JUVE-  
NIS, nemo dignè designet, aut laudet unquam sa-  
tis. Sic eam sibi virtutem propriam nativamq; fe-  
cerat, uti non minùs HUMANI nomine, quàm suo  
ipsius dignosceretur. Quicquid unquam Gra-  
tiarum, Venerumq; erat, id omne & in ani-  
mum ALBERTI, tanquam in sedem, patri-  
amq; quasi quandam suam sese penetravisse, &  
in



in vulnrum quoq; linguamq; , mirificè insinuavis-  
se, videri utiq; poterat. Sanè quotiescunq; do-  
mi nostræ ageret (quod factitatum frequentis-  
simè) **VIR TUTE**Mq; spectandam nobis sex-  
centis documentis offerret, acti in stuporem  
sumus, visiq; profectò non cum homine, sed  
cum **HUMANITATE** ipsâ , imò **ANGELO**  
quodam cœlitùs delapso conversari. Quicquid  
indicabat, agebat, **HUMANUM** erat; quicquid  
loquebatur, *Nectar & Ambrosia*. Dispereamus,  
si in omni vitâ videre contigit similem. Eoq;  
pæcipuè nomine, felices nos satis fortunatos-  
que deprædicare non possumus, quòd tam **HU-**  
**MANO** olim discipulo uteremur. Quanquam  
longè major felicitatis pars foret, si uti diutiùs,  
per eum, qui supra nos negotium curat, licuis-  
set. De pietate (cui soror juncta incredibilis  
probitas) **FUNCTI**, tanquam virtutum omni-  
um Reginâ aut Principe, cujusq; primo non  
abs re loco fieri mentionem oportuerat, quid  
jam porrò afferemus? Sanè ipsâ quoq; eximiè  
præditum fuisse, cùm nemo nostrum ignorat,  
tùm omnium luculentissimam isti præcipuè rei  
venerandus Dn. **HOSPES** faciet fidem. Qui  
id etiam, ceu qui **JUVENI** fuerit à Confessi-  
onibus, testabitur, Sacrà Coenâ aliquoties sum-  
mâ cum animi devotione, & tùm adhuc usum,  
B a quum



quum memoria *Passionis Dominica* publicitùs in Ecclesiâ repeteretur. Dùm jam in medio isto virtutum studiorumq; cursu deprehenderetur, florentissimusq; undiquaque foret, evenit, quod strenuâ ad honores, gloriamq;, ad dignitatem MAJORUM suorum grassantem viâ, interpellaret, gradumq; adeò juberet sistere. Enimverò ardentior febricula incomparabilem lecto affixit JUVENEM, moxq;, & nisi quinque diebus interlabentibus (quis vel credidisset, vel sperasset!) spiritum eidem animamq; interclusit. Nulli quidem operæ, uti convalesceret, parcitum. Præcipuè MEDICORUM Filios studiosissimè contra paravisse adverteres, quæcunq; morbo pellendo, ægroq; restituendo quovis pacto factura crederentur. Nec quicquam in curâ vigiliantiâq; suâ desiderare passæ sunt clarissimæ Feminarum, Dn. GEISMARIA, arctissimo affinitatis vinculo juncta; & Dn. HOSPITA. Sed omnia nequicquam. Mali enim vis omni ope humanâ valentior, tantumq; cœlitùs poscendum fuit remedium. Cutsitatum igitur est ad preces, quas magno conamine decumbenti & jam certissimè expiraturo pl. Reverendus Dn. HOSPEs prævit, ipseq; animo linguâq; subsecutus est. Princeps cura de remissione, quos in vitâ commisisset, errorum,  
recon-



reconciliationeq; , quos fortè offendisset, animorum fuit. Quaquam dispicere non fatiscuratè licet, qui offendere quinquam temerè is quivisset, qui mortalium foret **AMICISSIMUS & HUMANISSIMUS**. Recitari inter alia audita sunt gravissima illa Scripturarum dicta: **HERR gedencke nicht der Sünde meiner Jugend. It. Wie der Hirsch schreyet nach frischen Wasser: & quæ pio proposito, fini; ejusce generis alia inservire crederentur. His meditationibus vacantem, sacrisq; adeo exercitiis deditum, die 12. April. (7. ejusdem figi lecto ceperat) suprema fata exceperunt, reddideruntq;, undè venerat, cœlo suo, imò verorum jam Nobilium numero adseruerunt. Nos quid eo jam vel dicemus vel scribemus casu? Nil scribemus aut dicemus sanè; quando filere præstabit, nec ullâ ratione eam queri fortunam, quam jussa ac beneplacita Cœlorum immiserint. Cui mortaliū displiceat, quod placere intellectum est **IMMORTALI**? Quis modum methodumq; agendi præscribat ei, qui supra omnem est legem? cui supera, infera subjacent? cujus imperio, quicquid unquam est hominum terrarumque, coercetur? Aut deliri, aut impii est, rixari cum cœlis velle. Ferenda igitur fors est, tibi, **MATER** præcipuè, quæ omnium maxi-**



mè præfenti casu afficeris, ac, quæ in te pietas est, feres. Cogitabis hanc fermè sortem esse charissimorum DEI hominum, ut nunquam non difficultatibus aut doloribus irretiantur; id autem, quod amemur à DEO, probemurq; , ante omnes felicissimas etiam, ut sic ajamus, felicitates habendum esse. Deîndè propones animo, & in commune homines eâ lege vivere, ut aliquando amplius non sint, morianturq; ; & univèrsùm istud, quod à pulchritudine summâ MUNDUM appellitamus, ab hâc ipsâ necessitate exemptum minimè esse. Quicquid contueri oculis datur, Cœlum, mare, terras, inibiq; tot numero Civitates, tot Urbes, istis omnibus suum destinatum esse finem certissimum est. Quid igitur doleamus, tam fragile quid (hominem) resolvi posse, cùm tam firmissima corpora interitum & mortem quasi suam experiantur. Præcipuè id iterum iterumq; versabis tecum, hanc Christianorum esse prærogativam, ut, ex quo semel CHRISTUS vitâ functus est, nemo eorum amplius exire & vero queat mori, si vel maximè id ita videatur. Enimverò cùm abs corpore secedit anima, solutionem potius, quàm interitum esse, ignorare nemo, qui CHRISTO Magistro utitur, vel potest vel debet. Vivum itaq; atq; superstitem tibi, MATER, Filium omninò reputabis,



bis, quanquam subductus oculis ad tempus sit:  
Neq; enim perpetuò, credas, erit; sed veniet  
dies, quo vobis reddemini invicem, & extra  
omnem amplioris quidem distractionis metum.  
Alia, quæ hîc misceri pharmaca, ad sanandum  
dolorem, poteramus, lubentes prætervehimur,  
& ne his ipsis, quibus usi in præsens sumus, id  
quidem præfractè adeò volumus. quasi vel ani-  
mo jam defæcatoriore meditari, vel siccis planè,  
ubi ad te deferretur Filii tui funus, oculis con-  
tueri debeas (quod nec possibile sanè, nec de-  
cens aut pium sit) sed uti ne Atheniensem SO-  
LONEM in domestico hoc luctu imitere. Is  
posteaquam ex nuncio à *Thalete* subornato  
mortem Filii accepisset, ita contesternatus  
fuisse dicitur, uti animo repentè totus conci-  
derit, humi prostratus jacuerit, barbam utrâq;  
manu evulserit, capillos vellicârit, (quasi in  
calvitio quietior futurus) injectu pulveris os fæ-  
darit, pallium disciderit, planctûq; & ejulatu  
muliebri, cum summâ spectantium admirati-  
one & indignatione universum complêrit fo-  
rum. Apage impietatem insaniamq; ! Lugebis  
MATER, non sine causâ; neq; enim leve tibi  
inflictum profectò vulnus est. Cavè autem  
lugeas sine modo. DEUS est, qui vulneti ci-  
atricem obducet, & quæ ipsa fortè arripere in  
recenti



recenti dolore solatia nec dum poteris, cœlitus  
abundè, quod ex animo tibi apprecamur, suppe-  
ditabit. Ceterum Nos jam, CIVES ACADE-  
MICI, quùm vivo ALBERTO nullum ampliùs  
possimus, mortuo saltem hunc habituri hono-  
rem sumus, uti maximo ipsi eamus numero  
exequias. Quod itaq; uti prompti lubentesq;  
faciatis, & ipsa FVNCTI, tantoperè abs nobis  
deprædicata virtus, & quâ natus est, Clarissima  
Nobilissimaq; Familia, jure quodam suo exigis;  
quin Consultissimus AFFINIS, Dn. HINRICUS  
BERNHARDUS von Münster/ J. U. D. Frater,  
Sororq;, Funeri inter futuri, operam hanc quo-  
que vestram efflagitant. Nosque prætereà ad  
præstandum ultimum humanitatis officium,  
seriò vos impensèque incitamus &  
adhortamur.


P. P. Sub Sigillo Rectoratus, die  
25. April. Anno redempti Orbis 1665.  
Convenietur in Æde Marianâ  
horâ dimid. 2.






















bis, quanquam subductus oc  
Neq; enim perpetuò, credas  
dies, quo vobis reddemini  
omnem amplioris quidem di  
Alia, quæ hîc misceri pharma  
dolorem, poteramus, lubent  
& ne his ipsis, quibus usi in  
quidem præfractè adeò volu  
mo jam defæcatoriore meditar  
ubi ad te deferretur Filii tui f  
rueri debeas (quod nec possi  
cens aut pium sit) sed uti ne  
LONEM in domestico hoc  
posteaquam ex nuncio à  
mortem Filii accepisset, it  
fuisse dicitur, uti animo rep  
derit, humi prostratus jacuer  
manu evulserit, capillos velli  
calvitio quietior futurus) inje  
darit, pallium disciderit, pla  
muliebri, cum summâ spect  
one & indignatione universu  
rum. Apage impietatem insa  
MATER, non sine causâ; ne  
inflictum profectò vulnus e  
lugeas sine modo. DEUS e  
catricem obducet, & quæ ips



mpus fir  
d veniet  
& extra  
merum.  
mandum  
ehimur,  
mus, id  
i vel ani  
s planè,  
lis con  
nec de  
sem SO  
tere. Is  
bornato  
ernatus  
s conci  
n utrâq;  
quasi in  
is os fæ  
ejulatu  
dmirati  
êrit fo  
Lugebis  
eve tibi  
autem  
neti ci  
ipere in  
recenti